FULM-JS-JS04
99/26

F. 2. 3.

Ad P. Rem Rectorem Collegii societatis Jesu
Viennae a P. Stephano cabos serenissimi
Principis Confessario

Nihil dubito, quin ad vos perlatum sit, quemadmodum Turcae et tartari Lippam obsederint,
et forsan rumores etiam ceperint. sed nihil est periculi: res enim ita se habet.
quo tempore serenissimus Princeps noster Pragae fuit, motus aliquis in regno subortus est
qui turcas haud latuit. Turca igitur auguratis 16 millibus Tartarorum, huc
appropinquaverat. Interea Princeps Claudiopolim venit, quo nobiles ad comitia
indicta acceleraverunt. Turca enim cum 40 millibus, et 50 tormentis maioribus
Lippam cingit, moenia quatit, ac disjicit, quae Capitaneus ilico curavit obiecto
vallo reficienda. Misit praeterea, qui serenissimo denuntiaret, quanto in periculo
res esset, nisi mature subveniatur. Turca sese iactabat. Bassa ipse duos
rusticos misit, qui cum Capitaneo loquerentur. Hos ille ad sepulchrum quod
vivus sibimet curaverat, deduxit. et dicite (inquit) Bassae nos habemus
nostra gloriosa, [illegible] hic [illegible] Si arcem cupit
armis agat, non colloquiis. nam quoad duo ex his quatuor millibus
supersunt, arcem non ingredietur. Quo responso rusticos ad Bassam remisit.
Princeps [illegible], solutis comitiis, militem conspirat, ut intra castitum
[illegible] tribueriat [illegible] 32 millia, quibus contra hostem properabat. Quae
dum fierent, novus est rumor allatus solutam esse obsidionem, turcasque profligatos.
Quod ad hunc modum evenit. Bassa ille Themesvariensis, accepto responso, cum,
quid agendum esset, ignoraret: relicto praefecto vicario, discessit cum begis
Themesvariensibus [illegible], ut de tota ratione belli consuleret. Audierat enim
per [illegible], Principem iam in provincia esse. Discedens igitur mandat,
ut praefectus [illegible] diesque arcem oppugnet. Quod sane fecit haud segniter. Nam
octavo die Maij, qui fuit (postridie quo Bassa discesserat) totas septem horas
arcem, assaltu facto, oppugnavit: quo quatuor millia ceciderunt ex hostibus
ex nostris vix unus atque alter gregarius. Vicecapitaneus [illegible] vulnus accepit.
Capitaneus ipse [illegible] in pedibus manibusque captus sit, equo alligatus obequitabat, omnes ad pugnam hortans. Portas quoque arcis et civitatis aperiri iussit
eruptioneque militum tormenta aliquot maiora cepit, castris et [illegible], si milites
omnes fuissent ex arce deducti. Quod consulto non fecit, ne arx vacua linqueretur.
Hostis [illegible] hac innovatione turbatus, tentoria collegit, [illegible], seque in fugam
dedit, viris ingentibus, quos daemones non homines esse dicebat. Alia quoque
res audita eodem tempore hostem vehementer afflixit. Liberi enim Haidones

Principis, subito habitu turcico, per sylvas Themesuarium ingrediuntur, intelligebat enim ipsos nihil periculi suspicari. Ingressi enim domum adeunt, in qua consilium captabat Bassa cum Begohis de re militari; Beghes [illegible], Bassam imbuerat, caeteros in fugam vertunt, alij civitatem aliquot in locis incendunt, equos abducunt omnesque (non ita multi erant) qui, postea ussuerunt, equites rediarunt. Ipse ergo Bassa redeuntes despiciebat ex arce, quo aufugerat. Ex equis capti praestantissimos Principi obtulerunt. Is ergo quamquam difficultatem habuit in comeatu ac pabulo tam breui tempore comparando (neque enim salute poterat haec via conuehi) tamen superatis difficultatibus, praemissis primitiis atque impedimentis 13. et 14. die Maij et aliqua parte exercitus, ipsemet 15.º Maij summo mane armatus ad templum venit. Ibi flexis humi genibus, maxima cum deuotione sacrum audiuit. Mirum quantum nos omnes, qui aderamus, commouit, dum toto sacro immotus persisteret, labijs vero commotis lachrymisque per genas cadentibus defluentibus. Cum quidem aspectus ex nobis aliquos ad lachrymas commouit. Peracto sacro, e sede sua perrexit ad gradus altaris ubi a toto populo uideri potuit, ibique genu flexo a Nuntio Apostolico benedictionem accepit. Qua exhilaratus, uultu laeto omnino laetus apparuit. Egressus ex Ecclesia, primum Nuntio ualedixit italice deinde religiosis latine, postremo (conscenso equo) aperto capite, ad populum Hungaricum habuit orationem in hanc sententiam. Principio se illis commendauit, tum ueniam petijt ab omnibus, postremo orauit, ut ipsos omnes saluos et incolumes uidere liceret. Quibus dictis, equo calcaribus admotis, abijt, populo faustissima quaeque acclamante. Antecedebat armigeri duo. Alter uexillum ferebat quadratum album, ad magnitudinem [illegible] regalis, in quo pictae erant arma Principis. Hoc est signum, in quo Princeps consistit. Alter aliud uexillum ferebat, quod primum acie donauit. Proxime ad hos Princeps secutus est Cardinalis Capitaneus Regum. Ipsos ergo cingebat quotquot ex aulica exercitu domi remanserat. Ubi ad castra uentum est, equites erant exceperunt, distinctique secundum uoluntatem quos Princeps salutauit singulatim, duabusque saepe in unum coirent, gratias egit, quod eiusmodi tam difficili tempore paruissent. Se quidem non ignorare difficultates, quibus laborabat: uerumtamen necessitatem atque utilitatem publicam esse priuatis commodis anteponendam. Tum precatus est, ut Deus illis gloriam uictoriae tribueret contra hostes Christiani nominis, utque ualeret ipsis omnibus una cum ipso saluum reditum concedere, aut si necessitas ita ferret, gloriosa morte eos afficere potius, quam nomen suum tot uictorijs nobilitatum aliqua turpitudinis labecula aspergeret. His dictis, hortatus est, ut in acie miles pro ordine procederet, et caueret ne turbare ordines in itineribus, praesertim ubi periculi

aliquid subesse posset. Transyluani ergo longe alium ordinem seruant, atque alij Hungari neque enim sic in pugna dissipantur, sed Hispanico more (ut ipsi aiunt) instructi, armantur fere ut nostri milites austriaci. Bombardis et utuntur, caeteri hastas habent. Reliquus exercitus Principis haeret in Valachia et Moldauia. Timor est enim ne Poloni tartaros transire permittant.

Angliae quidam Legatus a Turca Constantinopoli huc uenerat ad pacem constituendam, postquam Turcae cum tartaris Lippam oppugnare coepissent. Sed in eodem loco coniectus est cum Chiausio Legato turcico, alijsque exploratoribus, ut sese multo solentur et illuminent, nam solis lucem, ubi sunt, uidere non queunt; forte omnes eodem supplicio afficiantur. Anglo concessum fuit, ut militem, dum instructa acie procederet, intueretur: post ergo in suum locum abductus est. Nos hic primo quidem eramus nonnihil territi, quod nullus esset miles, sed a Christianis oppugnatur, ab omnibus incendi esse. nisi iam ergo opponeremus Transyluani, si cum Turca solum pugnandum esset. Nam in finibus saltem miles haerere debet. Hinc Principis exercitus in quinque partes diuellitur. Quod ipse et frondes commemorat, dicens: Si pictus non esset, et periculum orbis Christiani alio non uocaret, facile mederer malis. Verum dissimulanda est culicis uexatio et muscarum strepitus negligendus, ut uesparum nidus extirpetur. Mirum certe, quod se ostendat animosum, cum tamen, si cum hoste comparetur, pulex est ad Elephantem, aut riuulus ad Istrum. Hic in prouerbio est, cum de Principis conatu loquuntur, uideri ut gallus gallinaceus contra leonem cristam attollat. Hinc quid aliud futurum sit, Deus nouit. Si Turca in propria persona ueniet, nostri Transyluani haud dubie cum ipso confligent, quomque tandem euentu. Cupiunt tamen prius, quam Turca ueniat, Themesuarium et Giulam obtinere. Sic enim poterit exercitus, uiresque coniungi. Hoc mense obsidebit utrumque Princeps serenissimus. Albae Iuliae, die 19. Maij an. 1596.

Audiuimus uero Pragae ante quatuor dies obsideri Themesuarium, imo, rumore licet incerto, etiam captum. 26. Junij 96.

Estas las ultimas nuevas de Transiluania ciertas

Miranese

Nicolaus de Transsilvania

Persecucion en Transil-
vania de la Comp.a

LXXXVII. 7.

1596